

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Sebastiani Castellionis Sacrorvm Dialogorum Libri
Qvatvor, Qvos Postremo Ipse Recognovit: Argvmenta
Singvlis Dialogis Praeposvit, Et Sententias Svbiecit ...**

Châteillon, Sébastien

Francofurti, 1761

VD18 12886300

Moses Expositvs.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18303

38 DIALOG. SACRORVM

mihī capitulum? Agite, amplectar vos omnes
Salvete fratres redditi mihī post longum tempus.

F. Salve & tu, frater mitissime.

SENTENTIA.

*Deus est mirificus, etiam peccata suorum conver-
tit ad ipsorum salutem.*

MOSES EXPOSITVS. Exodi 2.

ARGVMENTVM.

Moses infans a matre expositus, reperitur
a filia Pharaonis, & matri ignoranter traditur
alendus.

*Jacobeda mater Mosi, Maria soror, Termuthis
filia Pharaonis, Ancilla.*

Hucusque evasimus clanculum, & jam perveni-
mus ad flumen. Nunc exponendus est hic
infans puer, ne Pharaon resciscat, eum esse serva-
tum a nobis, contra suum mandatum atque vo-
luntatem. Nam quod servamus eum jam tres
menses, fecimus cum magno periculo. Sed
melius erat venire in discrimen etiam de vita,
quam sinere necari tam formosum puerum. O
crudelem Regem! qui jusserit interfici omne
partus mares. Quam multi sunt peremti jussu
ejus, in ipso ingressu vitæ? Quæ est unquam
audita tanta immanitas? infantes jugulari in ipso
limine & ingressu vitæ? O mi filiule, ego ma-
ter misera cogor exponere de hic in papyro! te,
quem tuli utero, quem peperī, quem per tres
menses occultavi & occultarem adhuc, si pos-
sem.

fem.
ulla
est?
cum
possi-
tum
& p
mi f
culto
fit.
flum
sequ
cum
num
ancil
A. I
bitur
mus
ejus
sum
Salv
acce
tibi
hic
a) E
pro
Neq
pia
a) D
he
g

fem. O rem acerbam: mene separari a te sine ulla spe tui unquam videndi? Quid me futurum est? quid te autem, fili, quem hic defero? Verum cum non possumus quod volumus, velimus quod possumus. Quod meum fuit, feci, ut te occultum haberem. Nunc commendo te clementiæ & providentiæ divinæ. Vale meæ delicia, vale mi filiote. *M.* Mater, ego hic manebo in occulto, si tu permittes, ut videam, quid futurum sit. *I.* Permitto, & domum redeo. *T.* Hic est flumen, quo venimus ad lavandum. Vos pedifsequæ hic inambulabitis secundum flumen: ego cum ancilla concedam in hunc recessum amœnum & occultum. Sed quid video in papyro, ancilla? vise, quid sit. Videtur mihi esse cista. *A.* Et recte videtur, hera: & quidem est oblita bitumine & pice. *T.* Adfer eam huc: aperiamus: Ah miselle; puer est vagiens, miseret me ejus: Ex pueris Hebræorum est. *M.* Venio in summam spem conservandi pueri. Accedam. Salve domina. *T.* Quid tu ais? *M.* Visne ut accersam tibi nutricem ex Hebræis, quæ nutriat tibi puerum? *T.* Bene dicis, accerse. *M.* Jam hic aderit. *T.* Bonis auspiciis huc descendi. a) Habeo puerum, quem curabo educandum pro meo. Nihil potuit accidere mihi optatius. Neque vereor offendere meum patrem in re tam pia & humana. Ah, scelus est, jugulare partus

C 4

recen-

a) Deus in conservandis suis utitur interdum opera hominum longe aliud cogitantium, quam ipse cogitas.

recentes. At quam elegans est, quam bene natus? Nonne flagitium est necare tales pueros? *M.* Hic tibi adduco nutricem, domina. *T.* Mulier, tu educabis mihi, & enutries hunc puerum. Ego tibi solvam mercedem. *I.* Faciam.

SENTENTIA.

Quos Deus servare vult, eos equidem in summa pericula venire patitur, at non perire.

D V M V S. Exodi 3.

ARGVMENTVM.

Jova in dumo ardente alloquitur Mosen, eumque mittit in Ægyptum ad liberandos Israelitas ex servitute.

Moses, Jova.

Deum immortalem, quid monstri video? dumum ita ardentem, ut tamen non consumatur? Libet videre, quid hoc sit rei. *I.* Moses Moses! *M.* Quid est? *I.* Locus hic sacer est, noli accedere huc: detrahe tibi calceos de pedibus. Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abrahami, Deus Isaaci, Deus Jacobi. a) Vidi angustias populi mei, qui est in Ægypto, gemitum audivi, quem exprimit violentia exactorum operum. Novi labores meorum. Itaque descendi, ut eripiam eos e manibus Ægyptiorum, abducamque ex illa terra, in terram bonam & amplam, abundantem lacte, & melle, quam incolunt Cananæi, Hettei, Amorrhœi, Pherezei, Hevæi, Jebusæi. Et nunc volo mittere te ad Pha-

rao-

a) Respicit Deus miseras suorum.